Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.

Wien, 1800 Seite 1235

Quelle:
Copyright:

cus in ordine ſui ordinis officium valeat exercere. Reſpondetur negative. Ad calcem: *Hec magiſter Henricus* (cognomen exeſum) *doctor decretorum in quotlibeto artiſtarum determinauit in* (non dubito *Wienna*, ſed exeſum) *Anno Domini Milleſimo quadringenteſimo nono.* Duos *Henricos* circa hoc tempus muniis academicis occupatos invenio Decretorum Doctores: unum *Bernſtain*, alterum *de Kützpühel.*

VI. *fol.* 352. Habebatur Judicium Univerſitatis *Vien. de Cultu XXIV. Seniorum* in *Styria* ſuperiore invaleſcente ad quendam ibi Archidiaconum, ſed forte fortuna jam *Vol.* I. illud relatum eſt; hic enim non niſi mucidae laciniae ſuperant.

DXXXIX.

U. 109 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 284. 4. currente calamo, non ab uno exaratus, et olim, ut anterior theca teſtatur, legatus ducali Collegio *Vien.* a M. *Leonardo de balſtat* Theol. Baccal. formato continet Lecturam prolixam in *Petri Lombardi Librum II. Sententiarum* hoc initio: *Creationem rerum inſinuat ſcriptura. Liber 2us in quo determinat Magiſter de rerum creatione et earum ornatu* &c.

II. *fol.* 217. Prolufio in Lecturam *Cantici Canticor.* hoc initio: *Secundum eximie facultatis theologice conſwetudinem* &c. Thema eſt: *Eructabo abſcondita a conſtitutione mundi. Matth.* 13. 35. Vocat Autor Cantica *Librum ſecundi curſus ſui.*

III. *fol.* 223. Lectura ipſa hoc initio: *Salomon pacificus et amabilis domini mores in parabolis corrigit* &c. Haec e galeato *Hieronymi* Prologo *aliquibus codicibus biblie proponi* afferit Noſter.

IV. *fol.* 259. Prolufiones III. in Lecturam II. III. et IV. *Libri Sententiarum*, quarum idem Thema jam citatum: *Eructabo abſcondita* &c. ut noris, omnia ab eodem calamo profluxiſſe. In I. nullos Cathedrae Collegas, in II. *Georium de Valſee* et *Georium de Giengen* nominat, quibus in III. *Conradum de Nurnberga* addit. Nullibi aut nomen Autoris, aut nota temporis adeſt, non magna ſane jactura, cum et media foliorum facies per totum Codicem humore multum evanuerit.

DXL.

Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 143. 4. per duas columnas nitide, multis tamen ſcribendi compendiis, exaratus, rubricis diſtinctus et quondam *M. Andreae*, quem *Andream de Weytra* Theologum noſtrum habeo, dein Collegii S. J. *Vienn.* Commentaria in *Librum III. Sententiarum Petri Lombardi* complectitur ſine Autoris nomine, quae ſic inchoant: *Cum uenit plenitudo temporis miſit deus filium ſuum — In hiis uerbis opus reparationis mundi que per chriſtum eſt facta deſcribitur de quo opere liber iſte tercius ſententiarum contexitur.* R. 1122

repa-